

est Papa in concilis universalibus; Patriarcha vel primas in nationalibus; Archiepiscopus in provincialibus; Episcopus in diocesans (1).

Quadruplex enumeravi conciliarum genus.

1. *Universalia, generalia, seu œcumonica* sunt, ad quæ vocantur episcopi universi orbis, qui possunt et debent interesse, nisi impedianter, et quibus Romanus Pontifex per se vel suos legatos præsidet.

2. *Nationalia*, in quæ conveniunt archiepiscopi et episcopi unius regni vel nationis præside Patriarcha vel Primate regni. Atque hæc, si numero antistitum, rebusque gestis spectabilia sunt, sæpè vocantur *plenaria*, sed ferè cum limitatio ne e. g. concilium plenarium Africæ, concilium universale anniversarium.

3. *Provincialia*, ad quæ unius provinciæ episcopi præside metropolitano, vel Archiepiscopo evocantur.

4. *Diocesana*, in quibus cleris unius diocesis suo sub Episcopo congregatur.

Mixta ex provincialibus et diocesans memorantur concilia plurima a romanis pontificibus olim celebrata, in quibus præter diaconos et presbyteros Ecclesiæ romanæ, aderant episcopi vicini, atque alii etiam remotarum regionum, qui in urbe tam reperiebantur. Frequentissimus enim primis jam temporibus, maximèque periculosus ob furorem gentilium erat accessus episcoporum ad sedem apostolicam, non utique curiositatis causa, sed communis fidei, unitatis et disciplinæ studio. Istiusmodi fuit concilium, quod S. Cornelius P. circa a. 251. Romæ habuit in causa confessorum Maximi presbyteri, Urbani et Sidonii, qui ejurato schismate Novatiani, in catholicam Ecclesiam recepti sunt: "Omni actu ad me perlato, inquit "S. Cornelius P., placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam episcopi quinque, qui et hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio, quid circa personas eorum observari deberet, consensu omnium firmaretur (2)." Similiter S. Zosimus P. in epistola ad Aurelium, et universos episcopos Africæ data a. 417, testatur, examini seu inquisitioni Cœlestii, vaserrimi heretici, intervenisse, "quicumque in tempore ex diversis regionibus aderant sacerdotes; unde Paulinus diaconus in ea causa cœtum apostolicæ sedis" nominat (3). In synodo romana III, sub. S. Gregorio M. subscripserunt episcopi 24, clerici 33 (4). Ab hoc concilarum romanorum genere reipsa non differt amplissimum collegium S. R. E. cardinalium, perfectam exhibens hierarchiam episcoporum, presbyterorum ac diaconorum, quorum consiliis et suffragiis romani pontifices in expediendis negotiis Ecclesiæ utuntur.

Historia temporum antiquorum aliud præterea genus synodorum exhibit, quæ regia dicebantur; eo quod non ex episcopis tantum constaret, sed ex optimatibus quoque et comitibus regni vel imperii, ut omnium suffragiis firmarentur leges ad utramque politiam, ecclesiasticam et civilem, pertinentes. Istius generis concilia

(1) Ab antiquis scriptoribus loca sacra et pia, in quibus fideles communi pietatis spiritu convenerant, sæpè appellantur concilia, synodi, martyrum concilia, martyrum conciliabula (etsi hæc vox in deteriore nunc sensum soleat accipi). Eò respicit edictum Constantini M. "Habebat unusquisque licentiam sanctissimo catholico venerabilique concilio decedens bonorum, "quod optaverit, relinquere, et non sint cassa judicia ejus." L. 1, c. de SS. Eccles. et cod. Theod. I, 16, tit. 2, de episcopis, ecclesiis et clericis, leg. 4.

(2) Constant. in ep. RR. PP. col. 136.

(3) Ibid. col. 947 et 966. Idem auctor, in prefat. n. 33, auctoritatibus et exemplis antiquissimorum pontificum ostendit, eos negotia in synodis decidere solitos esse; etsi decreta et constituta ipsi pontifici, nempè capiti, jure tribuantur.

(4) Concil. edit. Mansi t. X, col. 496.

frequentia exstitisse Constantinopolii, animadvertisit eruditissimus Thomassinus: multò frequentiora fuerunt in Gallia sub stirpe carolingia; cuius temporis scriptores et monumenta, quæ exstant, imperium quoddam sacerdotiale, et sacerdotium regale exhibent, cum summa sacerdotii et imperii vigeret concordia, et velut amicitia. Quæ res cum nec antea esset instituta, nec post observata, legem facere non potest, nisi eodem jure, quo potestas etiam profana et imperialis de rebus ecclesiasticis disposuit, asceras ecclesiasticam de rebus imperii posse decernere (1).

Valdè ampla est, et latè patet tractatio *juris synodalis*, nec ea fixam sedem, certumve *titulum* in decretalibus Gregorii IX, habet. Est illius juris *theoria* quædam, est etiam *historia*; nempè conciliarum varii generis, quæ suprà recensui, inde a nascente Ecclesia celebratorum. Auctores a rebus theoreticis in hoc generre ad historicas sæpè pervolant, ab his ad illas, non tantum ut illustrent argumentum suum, sed ut probent ac confirmant. Dein dupli modo in jure sacro spectari debent concilia; *primō*, ut *subjectum* potestatis sacræ, quatenus cœtus episcoporum, tanquam persona moralis, potestatem habet judicandi de negotiis fidei, communionis et disciplinæ, eumque in finem jure inspicendi, ferendi leges, exercendi jurisdictionem quasi civilem, et criminalem pollet; *secundō*, ut *objectum* jurium, quæ in causa synodi celebrandæ competunt summo pontifici, dein patriarchis, primatibus archiepiscopis, atque etiam principibus secularibus; qui potestate sua et munificentia tot præsulum ex remotis regionibus convenientium labores et difficultates sublevant, contumaces synodo sistunt, ordinem in concessibus conservant, decretorum executionem promovent. Multum sanè in cognitione juris synodalis profecit, qui plurima capita variasque quæstiones eo pertinentes accuratè distinguere, et unamquamque distinctè et ordine quadam mente concipere didicit. Atque id maximè hoc loco propositum mihi est: rei enim totius doctrina et singulorum capitum perfecta expositio et pertractatio neque propria est libelli isagogici, neque intra ejusdem angustias constringi potest.

Quando synodi tanquam *subjectum* potestatis sacræ considerantur, prima est veluti quæstio status, an *legitima* sit hæc persona moralis, sive an rationem concilii ecclesiastici re ipsa habeat. Sunt enim synodi *spuriæ*, tum quæ se œcumenicæ jactitarunt, tum quæ plenarias seu nationales, tum aliae ordinis inferioris. Sæpè enim pro legitimis conventibus existunt turbæ, illicita conventicula, conjurations, synagogæ Satanæ (Apoc. II, 9, et III, 9). Fieri etiam potest, ut legitimi conventus degenerent in spurios et illicitos, sive legitimi esse cessent, ut si post dissolutionem legitima auctoritate factam, animo schismatico continuentur. Sunt alia, quorum vitia ac præcedentes defectus sanari quaqua ratione possunt, nempe per confirmationem rerum illegitimè gestarum, postea auctoritate legitima superveniente. Pro diversa istiusmodi confirmatione et approbatione synodi quædam *partim approbatæ*, *partim reprobatae* censentur. Sunt denique synodi *simpliciter approbatæ*, quarum status a nemine catholicorum vocatur in dubium, tum universales et œcumenicæ, tum etiam particulares, quarum non paucae antiquis habitæ temporibus singularem romani pontificis confirmationem, et catholicæ Ecclesiæ approbationem meruerunt sæpè post intervallum, aut ipso usu ac receptione.

Status legitimus synodorum, de quo primò omnium querendum dixi, pendet ex eo quod in ea celebranda satisfactum sit iuribus eorum qui potestate quadam circa synodos, tanquam objectum, gaudent. Ea jura revocantur ad convocationem,

(1) Conf. Benedict. XIV. de synod. diœcœs. I, 1, c. 1, n. 2, conf. etiam auctor. de finibus utriusque potestatis, c. X.

ipsam celebrationem, confirmationem saltem tacitam in synodis particularibus, ut a Summo Pontifice non reprobentur. Hæc quidem ex principiis hierarchie divinæ et Jure ecclesiastico publico, quod eamdem exponit, maximè definienda sunt; generatim tamen eadem hic indicari necesse est.

§ I.

DE SYNODORUM CONVOCATIONE ET CELEBRATIONE.

1. Primum est *convocatio synodi*. In omni regimine sacro et profano, in quo cœtus plurium fieri solent, ceu ipsius populi, optimatum, statuum provincialium, judicium, senatorum, etc. spectatur jus convocandi, seu conventum indicendi. Isthœc jus usurpari ab alio, cui non competit, sine injuria et suspicione turbarum, ac factionum haud potest. Dein juri convocationis respondere debet obligatio venienti, convenientiisque, imò et permanendi, donec cœtus legitimè solvatur. Synodi ecclesiasticae sine capite suo esse non possunt, cui ferè et jus colligendi membra sua aut convocationem ratam habendi competit; atque id ipsum caput arbitrari, ac definire debet, expeditatne certis temporibus coire synodum, ne unitas ecclesiarum, quæ in synodis maxime spectatur, acerbitate temporum dissolvatur magis quam conservetur et constringatur. Capitis igitur est, judicare de causa convocationis, satisne gravis et justa sit, ut pastores avocentur a gregibus, et longas itineris et peregrinationis molestias suscipiant. Huc etiam pertinet, quis *vocari* jure debeat, ne quis de contemptu agere aut expostulare possit, quæ convocationis legitima forma sit, quæ excusatio absentie admitti queat, delegati ab absente annē et quatenus recipiendi sint. Denique principio synodi dispiciendum est, satisne competens præsentium Patrum numerus sit, ut deliberationibus initium dari, eaque synodus ecumenica, nationalis aut provincialis censeri queat.

2. *Celebratio* ipsa continet sequentia capita. Observantur solitæ aut præscriptæ solemnitates, ac jus ceremoniale, cujus principia exponuntur tit. de *majoritate et obedientia*; jus præsidiendi, ordo sedendi, facultas proponendi, interloquendi, respondendi, habita diligente cautione, ne in tumultum abeat concio, cui Spiritus Sanctus interest, et invisibiliter præest, libertas suffragiorum, modus eadem numerandi et colligendi, nempè *viriliter*, id est per singula capita, an *curiatim* secundum classes et ordines, in quos præsentes redacti sunt, ceu curias, centurias, nationes, distinctio sit inter vocem definitivam et consultivam, seu approbativam; dein utrum qui jure suffragij de cætero gaudet, tempore quodam, ut *judex*, sedere queat, an potius *judicandus* comparere debeat. Cura habetur ut rerum, quæ proponendæ et expediendæ sunt, teneatur rectus ordo, atque ut acta in synodo, gesta, conclusa et definita fideli excipiantur calamo et mandentur scriptis authenticis. Quo loco *canones et decreta* a conciliis edita distinguuntur oportet a *gestis synodalibus* eorumdem conciliorum; illa ferè exstant in memoris temporum præteriorum, non item hæc.

§ II.

DE SYNODORUM CONFIRMATIONE.

Confirmatio hoc loco est corroboratio actus in synodo gesti, vel juris ab ea editi facta, per legittimum superiorem. Vim pontificiæ confirmationis, quæ actis synodorum accedit, distinctè declarat S. Gelasius P. in *tomo de anathematis vinculo*, agens de rejecto a sede apostolica canone concilii chalcedonensis circa præ-

PROLEGOMENA.

69

gativam sedis constantinopolitanæ: "Totumque ut dictum est, in sedis apostolicæ positum est potestate. Ita, quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem." (1) Ex his inferes:

1. Concilia œcumениca, et quæ ab iis definita, judicata et sancta sunt, ut vim habeant, necessariò confirmari debent a sede apostolica. Secus enim universalem Christi Ecclesiam, uti deberent, non representant, cum ea non sit acephala.

2. Confirmatio pontifica sanat defectus, si qui contigissent in convocatione aut celebratione synodi generalis, eo saltem modo, ut ea, quæ confirmata sunt, non minorem vim habeant, quam definita et sancta a pontifice extra concilium, aut constituta in synodis particularibus, a romano pontifice confirmatis.

3. Synodi quæcumque particulares integrarum etiam nationum, si positivè reprobentur ab apostolica sede, nullam penitus vim habere possunt. Id concedere debent etiam ii, qui potestatem œcumenicarum synodorum supra RR. pontifices extollunt. Nam de ecclesiis quibuscumque particularibus exponunt propositionem, 41. Joannis Wicleffi, in concilio constantiensi damnatam: "Non est de necessitate salutis credere, romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesiias."

4. Si ea quæ a sede apostolica ante synodum præscripta, vel definita sunt, a synodis, ut oportet, recipiantur, vel pari forma præscribantur, aut definiantur, non censetur deesse confirmatio pontifica, etsi nullus subsecuatur actus.

§ III.

DE SYNODORUM NECESSITATE.

Ex juribus hactenùs indicatis pendet status synodorum, ut *legitimæ* censeri, et pro *subjecto potestatis sacræ* haberi queant. De hoc subjecto queri solet, quatenus necessarium sit ita nempè, ut negotia ecclesiastica sine concilio generali, aut particulari quodam exitum per se habere non possint. Auctor Princip. juris E. P. catholicorum, acturus de conciliis sic orditur: "Quod in regnis comitia, hoc in Ecclesia sunt concilia." Id perquam confusè dictum est. Pro varia forma statutum et regnorum necessaria, aut secūs, comitia esse possunt; ceu in systemate civitatum, in statu aristocratico concessus optimatum, in democratico comitia populi, ut apud Romanos ante introductam paulatim monarchiam; in ipsa monarchia lex fundamentalis necessitatem imponere potest, ut pro certis negotiis congregentur status regni, aut status provinciales. Quando ergo de necessitate conciliorum in Ecclesia quæritur, spectanda est primò forma ipsa sacri imperii divinitus instituta: dein lex ab ipsa Ecclesia lata; tertio cause ipsæ emergentes ac tempora, quæ moralem quamdam conciliorum necessitatem parere possunt.

1. Ex forma sacri imperii divinitus instituta non deducitur aliqua necessitas conciliorum. Neque enim Christus in universa Ecclesia, neque in ecclesiis particularibus instituit formam aristocraticam aut democraticam, quæ necessitatem sacrorum comitiorum imponeret. Ecclesiæ universæ summa cum potestate præst successori divi Petri, ecclesiis particularibus cum potestate, soli successori Petri subordinata, præsunt episcopi. Gradus intermedii, patriarcharum, primaturn, archiepiscoporum ex Jure divino non promanant. Temperamentum aristocraticum,

(1) T. VIII. Concil. edit. Mansi. col. 92.

quod monarchiae ecclesiasticae adjunctum est, in eo consistit, quod episcopi ex divina institutione veri sint rectores ecclesiarum, legislatores, et judices causarum, sed ad stricti ad unitatem cum capite Ecclesiae conservandam (1); ex quo nulla conciliorum necessitas dimanat; quia consensus Ecclesiae disperse cum supremo capite parem vim et auctoritatem habet, ac si episcopi cum papa uno loco considerent.

2. Ferri potest lex Ecclesiae, consentiente in primis supremo ejus capite, ut certis temporibus habeantur generalia concilia, quanquam exsecutio ejus legis innumeris subjacet difficultatibus ob varias principum rerumque publicarum exceptiones, ob molestias et longinquitatem itinerum, et ob longam pastorum a suis gregibus absentiam. Sine ejusmodi incommodis ex lege ecclesiastica imposta est necessitas statis temporibus celebrandi synodos provinciales et diocesanas.

3. Contumacia novatorum et perturbatio temporum aliquando synodos moraliter necessarias facere potest, ut nemp̄ unanimis Ecclesiae totius sensus manifestus appareat, et homines turbulenti acriore potestatis et dignitatis fulgore perstringantur, et revocentur ad officium, aut pertinaces graviore auctoritatis pondere opprimantur, atque universae Ecclesiae, aut insignioris ejusdem partis consentiente iudicio et sententia mactentur.

Dictum est ex natura et forma sacri imperii atque ex divino jure, nullam habendarum synodorum *necessitatem* posse colligi. At jus et facultas moralis conveniendi in synodos divinitus concessum fuisse patet *primō* ex ipsa libertate et independentia Ecclesiae a statu politico; ut proin ad finem conservandæ fidei, unitatis et integræ disciplinæ adhiberi possint media opportuna, et pro temporum ratione quasi necessaria. *Secundō*, Christus prælatis in suo nomine legitimè congregatis singularem ad promisit gratiam et assistantiam suam, quo ipso ad ejusmodi congregaciones celebrandas eos invitavit, adeoque et jus et facultatem dedit. Huc omnino pertinent verba Christi: "Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum." Particula *enim* indicat, ad præcedentia verba referendum esse hoc dictum. Sermo erat divino magistro de homine, qui privatam correctionem ab uno vel coram uno primum, dein coram duobus aut tribus testibus factam respuit. De hoc Christus inquit: "Quod si non audierit, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus." Ne quis autem prælatorum Ecclesiae congregationem parvi faceret, addit: "Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo." Id dictum maximè fuisse de ecclesiastico conventu, indicant verba annexa: "Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamecumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est." Utque ostenderet, quo loco habenda essent prælatorum congregaciones, semetipsum in medio eorum ad stitutum promisit: "Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (Matth. XVIII, v. 17, 21)." Genuinus hic verborum Christi sensus comprobatur testimonii conciliorum et patrum. S. Cyrillus de patribus Nicæae congregatis ait: "Quibus sanè Christus adsedit; qui dixit: Ubi fuerint duo, vel tres congregati (In expositione symboli nicæni)." S. Cœlestinus P. in epist. ad concilium ephesinum ex iisdem verbis a minori ad majus dicens argumentum: "Quod si numero tam exiguo, inquit, Spiritus Sanctus non deest, quanto magis par est credere, illum minimè desuturum, ubi tanta sanctorum multitudo convenerit?" Iisdem verbis usum est concilium chalcedonense. Act. VI, et concilium VI, actio-

(1) Vide notam VIII ad prolegomena.

ne XVII. S. Gregorius eumdem sensum iisdem penè verbis expressit: "Si ergo adesse dignabitur, ubi duo vel tres fuerint, quantò magis non deerit ubi plures convenerint sacerdotes (L. 7, epist. 106?)" Ipsi apostoli, etsi repleti essent singuli divino Spiritu, tamen jure synodum usi sunt, ac de Christi promisso nihil ambigentes in synodo hierosolymitana pronuntiarunt: "Visum est Spiritui sancto, et nobis (Act. XV, 28)."

De usu hujus juris, conveniendi in synodos statuenda sunt sequentia: 1. Cum illud divinatus concessum sit Ecclesiae, potestas politica ei derogare, vel obsistere non potest. Valentianus, rogatus ab episcopis orthodoxis, ut contra arianos congregari in synodum liceret, respondit: "Sibi, qui unus ex laicorum numero esset, non licere se ejusmodi negotiis interponere, et ideo sacerdotes et episcopi, quibus haec curæ sunt, seorsum per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant (1)." Cum autem istud jus positivum sit, quod opportunitatem multaque subsidia pro securitate et receptione convenientium poscit, fieri potest ut conventus hic et nunc fieri omnino non posse juste censeatur: dubium ergo non est, quin cum principibus ea de re conferendum sit.

2. In casu plurium de papatu contendentium Ecclesia pollet jure, iis etiam invitatis, habendi synodum, certumque sibi eligendi caput; aliaque statuendi, quæ ad extinguendum schisma necessaria sunt. 3. Extra casum schismatis, invito romano pontifice, legitimas synodos fieri non posse, antiquissimis canonibus et exemplis proditum est. 4. Synodis particularibus, iis præsertim, quæ ex præscripto canorum statis temporibus celebrandæ sunt, non repugnabunt romani pontifices, si rem ex ordine et secundum canones agendam prænoscent. Coitioni schismaticorum conventiculorum et possunt et debent refragari, invocato etiam brachio sculari.

§ IV.

DE SYNODORUM VI ET POTESTATE.

Synodos legitimè congregatas *subjectum activum potestatis sacræ* dixi, si quæritur, quæ et quanta sit ea potestas et quam latè pateat, distinguendum est inter *generales* synodos, utique capite suo non destitutas, et inter *particulares*. Potestas synodi ecumenicæ legitimè in Spiritu sancto congregatæ apud omnes catholicos indubitate summa habetur in declaranda fide, ferendis legibus, dirimendis causis episcoporum, archiepiscoporum, primatum, patriarcharum. Solet autem potestas et auctoritas conciliorum dupli modo considerari.

1. Absolutè et in se.

2. Comparatè ad alia præcedentia concilia generalia, vel ad papam, ac quærunt primò, an concilii prioribus derogari per concilia posteriora valeat? R. Quæ ad fidem et jus divinum spectant, immutabilia sunt, ut patet. In causis facti et legibus disciplinæ priora emendari, veritate patesfacta, a posterioribus possunt. Sunt tamen etiam disciplinæ canones quidam velut immobiles, qui perpetuam decentiam et cum religione convenientiam habent. Manente ergo religione, eodemque semper Spiritu sancto Ecclesiam regente, manebunt perpetuò ejusmodi canones, etsi jure tantum humano nitantur, ut in celebratione præcipuorum festorum manifestum est. Observamus autem posteriora concilia, quantum fieri omnino po-

(1) Sozom. H. E. lib. VI, c. 7.

test, semper inhaerere prioribus et antiquorum canonum normam in ferendis legibus et extirpandis abusibus sibi proponere.

Fit etiam comparatio potestatis et auctoritatis conciliorum generalium cum potestate et auctoritate Papæ. In quo genere perquam odiosæ excogitatæ sunt ab hominibus malevolis disputationes; ad imminuendam nempè apostolicæ sedis auctoritatem, et ecclesiarum pacem et unitatem infringendam. Opponunt Papam concilio generali, et concilium generale pape; quasi verò, cum certum Ecclesiæ caput præstò est, concilium generale sine capite intelligi omnino queat (Conf. J. E. P. § 358). Petrum *singulis apostolis* prælatum fuisse a Christo fatentur. Ostendant ergo ex verbo divino, scripto vel tradito, locum quemdam, in quo *collegium apostolorum* fuit prælatum Petro. Sed satis nunc quidem est indicare præcipuas quæstiones, quas, facta illa comparatione, movent; ac:

1. Quærunt generatim, utrum papa supra concilium generale; an contra sit.
2. Si ante cœgregatum generale concilium edita est a Summo Pontifice authentica definitio fidei et divini juris; utrum hæc definitio postea novo examini a concilio subjici et quatenus possit?
3. Utrum a sententia Papæ in causis doctrinæ, aliisve litibus locum habeat appellatio ad futurum concilium generale?
4. Utrum extra casum schismatis concilium generale jurisdictionem exercere in papam possit, eum corrigendo ob pravos mores, deponendo, etc.
5. Legibus a concilio generali latis, an et quatenus ligetur Summus Pontifex? utrum eas mutare, in iis *jure proprio* dispensare possit? Memorabilis est textus c. significasti. 4 de elect.: "Quasi romanæ Ecclesiæ legem concilia ulla præfixerint, "cum omnia concilia per romanæ Ecclesiæ auctoritatem et facta sint, et robur acciperint, et in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas (1).

Particulares synodi habent limites tum *caesarum*, tum *locorum*; neque enim 1. causas majores, ad universam Ecclesiam pertinentes, aut reservatas Summo Pontifici, regulariter cognoscere, et quādiū verè controversæ sunt, decidere valent. 2. Synodus nationalis ultra nationem, provincialis ultra provinciam, dioecesana ultra diocesim, se sola vim et auctoritatem habere non potest. Quæ cum ita sint, confessione omnium, sæpè ego, vehementerque mirari soleo, a germanis scriptoribus non paucis quatuor propositiones a clero gallicano editas in comitiis anni 1682, tanto in pretio haberi, ut plus sæpè auctoritatis illis tribuere videantur, quām decisionibus et legibus generalium conciliorum, imprimis Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi. Agunt autem propositiones illæ potissimum de jure ac potestate conciliorum generalium et Romani Pontificis. Quid ergo? si quod dubium, si lis et controversia de illo jure ac potestate existit, id scilicet a natione unica cognosci et finiri poterit? Non poterant sanè Galli præsumere consensum episcoporum orbis universi, ea fortassis ex causa, quod illi articuli auctoritati episcoporum et conciliorum generalium a capite sejunctorum faveant: neque enim episcopi universi orbis regiis mandatis urgebantur, ut galli tempestate illa; neque verisimilè erat ullo modo, episcopos omnes potestatem sibi non competentem, certè schismati faven-tem arrogaturos, cuius potestatis nullum exemplum præbebat antiquitas, ac docuit eventus, episcopos Ungariæ gallicanis articulis solemniter contradixisse. Si decreta constantiensia obtendant Galli, ignorare non poterant ea a viris summis maximoque numero ad casum schismatis unicè referri, nec se ejus litis, quæ inter

(1) Vide notam IX ad prolegomena.

summos viros diversarum nationum agitabatur, et etiam nunc agitur, legitimos disceptatores et judices esse. Fac in comitiis Galliæ de Ecclesia Germaniæ, de archiepiscopis nostris aut episcopis judicatum fuisse, et contradicente Summo Pontifice, judicatum fuisse, episcopis per orbem reliquis minimè cum Gallis conspirantibus; qui Germanus id Gallorum judicium magnoperè attendendum censeret? quis non rejeceret cum indignatione? quis apostolicæ sedis non anteferret oraculum? Nunc verò cum gallicana sententia non membrum Ecclesiæ, sed ipsum caput, atque adeo universum corpus invadit; eam scilicet admirabimur, et magnoperè vim quamdam aut pondus habere credemus? Opinione quidem mea nihil turpius est viris doctis gravibusque quām ignorare limites potestatis suæ, aut cognitos studiosè perrumpere. Hanc labem a Gallis ævi illius nemo absterget. Novi ego, quām multa eruditè acriterque contra articulos illos quatuor scripta dictaque sint; sed duo sunt, ni fallor, quæ illorum auctoritatem maximè imminuant, atque infringunt. Primum est, quod Galli mandato regio non Christi nomine coacti, causam totius Ecclesiæ communem, contempto judicio catholicæ unitatis, sibi solis definiendam sumpserint, contradicente illico, iterumque apostolica sede. Alterum est, quod inde ab eo tempore, quotquot, retenta larva catholicæ nominis, auctoritati romanorum pontificum adversari pacemque ecclesiarum perturbare aggressi sunt, primo omnium ad partes Gallorum transire, articulos illos adamare et amplexari, et modis omnibus prædicare, aliisque velut indubitate dogmata obtrudere cœperint.

§ V.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Qui in causis divinæ religionis scepticismum tacitè invelunt, sic rem aggrediuntur hoc loco:

1. Romanum pontificem ex cathedra loquentem negant infallibilem, ejusque judicium ultimum esse et irreformabile, nisi consensus universalis Ecclesiæ accepterit.
2. De hoc consensu universalis Ecclesiæ vix ac ne vix quidem certò constare posse affirmant sine concilio œcuménico. Nam, ut auctor Principiorum, p. IV, ait: "Questio facti est, an omnes in dogmate vel ritu concordent," addit: "Hoc opus, hic labor, est. Ecclesia est persona facta et moralis, conflata ex innuméris penè individuis. Quis hominum deprehendit sensum tantæ multitudinis (1)?"
3. Ob hanc causam inferunt, necessitatem quamdam conciliorum œcuménicorum, eorumque auctoritatem unicè extollunt.
4. Sed mox destruunt quod ædificarunt. Conciliorum generalium auctoritas, inquiunt, subjetat examini, eo ipso quia dari possunt concilia illegitima et reproba. Addunt etiam: Nulla natio tenetur acceptare concilium, nisi persuasum habeat, illud nullo vitio laborare. (Si examen poscerent ejus qui concilia confirmare debet, nempè summi pontificis, res salva esset; tota retrò antiquitas post cognitam confirmationem pontificiam concilii, penitissimè acquievit, et nihil ultra requirendum vel examinandum censuit).

5. Sed critici vel sceptici hodierni aliter censem: "Concilii elogium, aiunt, non "est absolutè infallibile, sed tantum conditionale, si nimis patres legitimè con-

(1) Quasi consensus, non tantum pastorum, ac majoris duntaxat eorum partis requireretur sed etiam ovium singularum. Hæc Richerismum olent.

"vocati ita in eo se gesserint, ut dici possint repræsentasse totam Ecclesiam." Atque hoc æstimabunt "periti: 1. ex integritate patrum, qui concilio interfuerunt; 2. ex historia colloquiorum et actis sessionum; 3. ex comparatione concilii recentioris cum primis quatuor œcumenicis; 4. ex approbatione Summi Pontificis; 5. nec non ex acceptance Ecclesiæ universalis (1)."

Quis non videt auctoritatem generalium conciliorum hoc quidem modo penitus eludi posse? Itane unquam tota retrò antiquitate cogitatum, actumve est ab hominibus orthodoxis? Nam sectariis et contumacibus contra quasvis synodes maxime generales et solemnies vani obtentus et frivola exceptiones nunquam defuerant. Quid? in civili status leges latæ a principe vel optimatibus, pronuntiatæ a supremis judicibus, comitia habita ab ordinibus ejusmodi examini privatorum subjacent scilicet ea ex causa, quia non omnes leges, non omnes sententiæ, non omnia conclusa sunt justa?

Excutienda sunt breviter quinque criteria conciliorum supra enumerata. Requiritur.

1. *Integritas patrum.* Patres igitur concilii testimonium vitæ, morum et doctrinæ afferre debebunt peritis, nempe pastores ovibus, rectores subditis? Ita olim ipsa fides nicaena reprehensa fuit a Sabino quodam, *tanquam ab ignaris et impeditis hominibus conscripta*. Eodem scilicet jure partibus litigantibus, quarum causa in judicio agitur, testimonium integratatis et doctrinæ afferre debebunt judices, assessores, consultores.

2. *Historia colloquiorum et acta sessionum.* Quid si historia authentica et acta sessionum non habeantur? Et quam historiam habuerunt pro authentica? Nempe conscriptam ab hostibus Ecclesiæ, qui a synodis profligati, mentiri et calumniari nunquam cessant?

3. *Comparatio concilii recentioris cum primis quatuor œcumenicis.* Et prima quatuor concilia, quibus cum præcedentibus poterant vel debebant comparari? Quam multa definitur in posterioribus, quorum nulla in prioribus facta est mentione, quia nullæ circumstrebant hæreses? An Christus primis tantum conciliis Spiritum sanctum appromisit? Posterioribus non æquè appromisit?

4. *Approbatio summi pontificis.* At hunc negant infallibilem, ac plus ferè posteriorum examini quam pontificio oraculo tribuant.

5. *Acceptatio universalis Ecclesiæ.* En! quomodo in circulo ambulent pleni vertigine. De consensu universalis Ecclesiæ vix ac ne vix quidem constare potest: igitur, aiunt, necessaria sunt concilia œcumenica; sed hæc acceptare nemo tenetur, nisi constet, esse legitima: legitima esse non constat, nisi ex acceptance et consensu Ecclesiæ (2). Dein singulæ ecclesiæ suspendere poterunt acceptancem concilii, donec constet, universam Ecclesiam id approbase et acceptasse. Quæ igitur acceptare tenebitur, cum acceptatio et natura et tempore prior ac posterior, hoc modo esset?

Aliam habent viam eludendi decisiones et auctoritatem generalium conciliorum illi ipsi qui ad concilium generale antea provocarunt. Talem nempe concilio formam ac tales conditiones præscribunt, quas nullum unquam concilium habuit, nullum in catholica Ecclesia habere potest, perindè ac si is qui ad supremum tribu-

(1) Auctor princip. J. E. P. cathol. c. IV, § XL. Similia ferè Calvinus scripsit I, IV. Inst. c. 9, § 8. "Quoties concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, et quo consilio, quales homines interfuerunt, etc."

(2) Propositio 29 Lutheri a Leone X damnata.

nal provocat jus sibi sumeret, novam tribunal formam, novas leges præscribendi. "Via nobis facta est, inquietabat Lutherus, enervandi auctoritatem conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta et confidenter contitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque concilio." (1)

ARTICULUS III.

DE SCRIPTIS SANCTORUM PATRUM, EORUMQUE IN JURE ECCLESIASTICO AUTORITATE ET USU.

Sunt auctores nonnulli, qui principia omnia juris sacri ad duo revocant capita, nempe ad *Dei verbum*, traditum vel scriptum, et ad *regulas Patrum*: quo nomine comprehendunt decreta summorum pontificum, canones conciliorum, et sententias eorum scriptorum, qui antiquitate, doctrina et sanctitatæ vitæ præcelluerunt. Hoc sensu regulas patrum accepit S. Leo IV, dum ait: "Sanctorum patrum statuta, quæ apud nos canonum nomine prætitulantur (Can. 1, dist. 20)." Decreta quidem RR. pontificum sua propria pollutent auctoritate. Canones conciliorum tum ex potestate convenientium patrum, tum ex synodali consensione vim habent: restat igitur, ut de sententiis venerabilium patrum earumque auctoritate seorsim agatur, et quasi segregata pontificia vel synodali potestate.

§ I.

QUI PATRUM ET DOCTORUM NOMINE VENIANT.

Patrum nomine veniunt ii, qui post apostolos et evangelistas Ecclesiam illustrarunt sanctitate et doctrina. In qua notione involvuntur tria:

1. *Antiquitas;* quam ipsa patrum Ecclesiæ vox denotat. Tam remota autem desiderari non solet antiquitas, ut non etiam S. Bernardus, qui obiit medio saeculo XII, nempe an. 1153, annos natus 63, in censem patrum fuerit admissus.

2. *Doctrina præstantia,* qua non vivæ tantum vocis officio, quemadmodum in numeri alii sanctorum plebium pastores præsentibus sibi populis consuluerunt, sed peculiari sapientiae lumine doctissimis conscriptis libris, universam Ecclesiam instruere, atque omnium saeculorum posteritatem in sacrosanctæ religionis causis erudire feliciter allaborarunt.

3. *Vitæ sanctitas,* quæ singularem venerationem, cultumque dudum in Ecclesia ipsis comparavit. Haec tria sunt, quæ plurimum auctoritatis conciliant scriptis ac sententiis venerabilium patrum; quia ob vitæ sanctitatem Deo cari et divina affluentes gratia, quid divinæ fidei conforme, quid Deo gratum esset, præ aliis videre debuerunt. Doctrina a periculo ignorantie et fatuitatibus eos removit. Antiquitas e fontibus apostolice prædicationis et primævali simplicitatis, fidei ac religionis dogmata proprius et uberior hauriendi copiam ipsis fecit.

Ob librorum copiam atque excellentiam quidam e patrum numero sortiti sunt honorificum *doctorum Ecclesiæ* nomen; ex græcis, SS. Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus et Joannes Chrysostomus; e latinis SS. Gregorius M., Ambrosius, Augustinus, et Hieronymus (2). Eamdem honoris prærogativam in divi-

(1) Vide notam X ad prolegomena.

(2) De doctoribus lectu dignissima est *decretalis Bonifacii VIII*, quæ exstat c. unic. de reliquis et venerat. SS. in 6.